

berg, J. U. Candidatus, Christian Gottfried Schamberg, Bonar. Artium Studiosus, Virgo Christiana Elisabetha, & Abraham Gotthilff una cum reliquis liberis inter largas lacrymas post funus Aviaë eunt. Tertia filia Magdalena Dorothea dudum inter cœlites agit. Reliquum vitæ a Beata Matrona peractæ cum ea notissima sit omnibus, paucis absolvi potest. Ætatem grandem & vegetam a DEO præ aliis concessam, in exercitiis fidei & amoris maxime consumsit. Concionibus sacris Dominicalibus, Festivalibus & Hebdomadariis diligentissime interfuit: cœlestem Codicem, aliosque libellos, quibus explicantur fidei morumque capita, versavit & legit: suarum infirmitatum memor usu sacratissimæ Cœnæ multoties repetito fidem, patientiam, spem, reliquasque animi Christiani virtutes bene solidavit. In Orationibus ad Deum fundendis assidua magnaque ac firma fiducia fuit. Recte persuasa bona fide amare Deum haut posse, qui negligeret proximum, ad officia quibusvis pro nam & promptam, laborantibus cum primis necessitate aliqua ac aliena ope indigentibus beneficam se exhibuit. Adeo ut vere eam dicere possimus viduam, quæ, quod Paulus requisivit, testimonium bonorum operum luculentum habuit. Pro qua pietate Deus Matronæ ex gratia largitus est beneficia quamplurima, & inter hæc senectutem, quam ipsam morbum dicunt, sine morbo, nisi quod postremis paucis annis, ex catarrhis pituitosis & difficultate respirandi molestias aliquas perciperet. Quos affectus tamen non habuit insuper, sed tales existimavit, qui repentinam mortem sibi afferre possent. Hanc præfagiisse mente putanda est, cum, quod narratum nobis est, in scheda post mortem inventa, liberis quasi absentibus a moritura futuris, Divinam Gratiam apprecata valedixerit. Ideoque suis improvise, sibi paratæ prævisa mors accidit. Fuerat d. 29. Dec. apud charissimam nurum prægnantem, ei cum tempus enitendi prope esse appareret, adstitura: at dum mora aliqua intercessura videretur, in ædes suas propinquas reversa est cubitum itura. Post preces in lecto se reponens male habere incepit quasi vomitura. Sed derepente catarrhus ingruebat, qui tamen non ita cito suffocabat, quin pia Matrona aliquoties JESUM suum nominaret, & invocaret. Itaque animam hora l. matutina placide exspiravit; postquam vixisset annos septuaginta sex, menses quatuor dies, duos. S. Apost. Paulus in Epistolis suis nomen JESU ex calidissimo affectu repetiit ducenties decies novies, referente Dannhauero Hodosoph p. 601. Inde cum decollaretur, caput ter exsiliit, & in unoquoque saltu clamavit JESUS, ut narrat Baronius Annal. Eccles. ad an. Christi LXIX. S. Martyr Ignatius, discipulus Johannis Apostoli nihil scribebat, nihilloquebatur, nisi nomen JESU aliquoties interponeret, hinc in Epistola una quindecies, in alia vicesies repetitum legitur. Cum Carnifex eum torquens interrogaret, cur toties nomen Jesu diceret, respondit: hoc nomen cordi meo est inscriptum: exinde in os meum semper ascendit. Id quod ita repertum est. Nam in corde dissecto, nomen Jesu ex singulis particulis, literis aureis eluxit. Matrona Schacheria nomen Jesu cordi suo insculptum gessit; & precibus assiduis ore prolocuta est. Decuit ergo morientis Animam cum hac voce ex corpore exilire, & in eo salutem æternam adire. Quod si quis haut incassum funeribus honor impenditur, agite Cives nostri, & huic omni muliebri laude defunctæ Matronæ, matri felici filiorum officia sua ac dignitates & gerentium & ornantium, ite hodie exequias post horam Tertiam. P. P. ad d. III. Januarii Anno Christiano MDCCXII.

LIPSIÆ, LITTERIS ZEIDLERIANIS.